Mythologia, Padoue, 1616 - 85 : Palémon (?)

2 médaillons : Neptune et le dauphin

Auteur(s) : Ferroverde, Filippo (graveur)

","author_name_items":"Auteur(s)","author_size_items":"16px","title_size_items":"16px"}}, new UV.URLDataProvider()); /* uvElement.on("created", function(obj) { console.log('parsed metadata', uvElement.extension.helper.manifest.getMetadata()); console.log('raw jsonld', uvElement.extension.helper.manifest.__jsonld); }); */ }, false);

Et læta facie pelagi de fluctibus altis.
Cultoresq; tuos in terris protege, & vndis.
Pontinagis hyemem ratibus depellere ſueſti,
His quibus appares miſeris mortalibus vnus
Namque fauens, tumidaſq; refrenas æquoris iras.

Sic etiam Euripid. in Iphigenia in Tauris cuſtodem & ſeruatorem nautum Palæmonem vocauit:

ὦ ποντίας παῖ λευκοθέας, νεῶν φύλαξ
δέσποτα παλαῖμον ἵλεως ἡμῖν γενοῦ,
Fili marinæ Leucotheæ, cuſtos bone
O nauium Palæmon, eſto mi bonus.

Atque Lucianus Epigrammatum poeta fuiſſe conſuetudinem ſcribit in hiſce carminibus, vt Dijs marinis, per quos ſalutem & incolumitatem nautæ fuiſſent aſſecuti è maris perturbatione, vota ſoluerent:

γλαύκῳ, καὶ νηρεῖ, καὶ ἰνοῖ, καὶ μελικέρτῃ
καὶ βυθίῳ κρονίδῃ, καὶ σαμόθραξι θεοῖς,
σωθεὶς ἐκ πελάγους λουκίλλιος ὧδε κέκαρμαι
τὰς τρίχας ἐκ κεφαλῆς. ἄλλο γὰρ οὐδὲν ἔχω.
Inoq; Glaucoq; & Nereo, dein Melicertæ,
Et Samothracum Dijs, æquoreoq; Ioui,
Seruatus dicat è pelagi Lucillius vndis
Hos crines. aliud namq; habet ille nihil.

Hic non vehebatur in curru, ſed natandi peritiſſimus habebatur, vt ait Ouidius in epiſt. Leandri:

Et iuuenem poſſim ſuperare Palæmona nando,
Miraq; quem ſubito reddidit herba Deum.

Vocatus fuit Palæmon etiam Portunus, quẽ clauem dextra geſtantem finxerunt, quoniam portus ab hoſtibus tueretur. Huic infans mactari conſueuit, atque in Tenedo præcipuè diuinis honoribus colebatur. Sepultus fuit hic nauigantium Deus in Iſthmo, vt ait Pauſanias in Atticis: at Ino in ora maritima agri Megarenſium à Cleſo & Tauropoli Cleſonis filiabus & Lelegis neptibus, vt dictum fuit, Hæc ſunt ea quæ de Ino & Palęmone memorię prodita fuerunt ab antiquis, è quibus veritas eſt exprimenda. Quod Ino fuerit Cadmi & Harmonię filia, & Athamantis vxor, non diſſentit ab hiſtoria: & quod à patre fuerit filius ſaxo illiſus, & quòd Ino timore vel furore concita in mare ſe cum filio præcipitauit. Quòd verò ipſa & puer Melicerta fuerint in Deos conuerſi, nihil hoc habet cum veritate commune.

AT quid per hæc ſignificare voluerunt antiqui? Dictum fuit ſuperius tantam fuiſſe nonnullorum antiquorum principium ambitionẽ, vt aras, & ſacerdotes, & ceremonias nonnullis ſuorum maiorum tanquam Dis immortalibus inſtituerint. Sic Iſthmia Siſyphus, quæ prius in honorẽ Neptuni celebrabantur, in honorem ſui propinqui conuertit, quare dictus eſt

No-

Digitized by INTERNET ARCHIVE
Original from THE GETTY RESEARCH INSTITUTE